
FASTI SACERDOTUM P. R. PUBLICORUM AETATIS IMPERATORIAE

PARS I



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS SCRIPSIT

GEORGIUS HOWE
AMERICANUS CAROLINENSIS

HALIS SAXONUM
MCMIII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

GEORGIO WISSOWA

SACRUM

I.

Sacerdotia publica Romana priore auctoritate dignitateque amissis inde ab aetate Gracchorum potius inter honores civiles quam sacerdotales censebantur. Flamonia quidem maiora, quae fere nullum privilegium sed multa officia molestissima secum ducebant, ambiebat nemo. Ita neque suffectus est flamen Dialis per quinque et septuaginta annos (ab a. 667 = 87 usque ad a. 743 = 11)[1]), neque invenitur sacerdos fetialis inde ab anno 618 = 138 usque ad annum 722 = 32. Praeterea fratres Arvales ac sodales Titii nec non flamines minores tum quidem temporis prorsus interisse videntur.[2])

Qui rerum status mutatus est principatu instituto. Nam ex eo tempore quo post pugnam Actiacam Augustus templa reficere et res sacras publicas privatasque denuo constituere coepit[3]), sacerdotia a viris illustrissimis ambiebantur, ut fasti docent. Vigente per saecula duo antiqua religione, inter annos 14 et 180 in honorem imperatorum divorum (Augusti, Vespasiani, Hadriani, Antonini Pii) instituta sunt nova collegia, quae fere aeque atque quattuor collegia amplissima per viros maximae in republica dignitatis completa sunt.[4])

Quattuor amplissima collegia — pontificum augurum quindecimvirorum septemvirorum — ipso saeculo quarto exeunte exstitisse ex fastis colligitur. Sed eo tempore iam desisse magnam auctoritatem dignitatemque habere ex eo manifestum est, quod pauci homines permulta sacerdotia eodem tempore occupabant, ne collegiis vacuefactis antiqua religio fide Christiana nova extingueretur. Usque ad Gratianum imperatores certe omnes erant pontifices maximi, quamquam cognomen pontificatus iam fuit tantum vocabulum honorum sine gravitate. Fasti quoque virginum Vestalium usque ad annum 364 pertinent.[5]) Sed quinto saeculo ineunte esse desierunt collegia sacer-

1) Tac. ann. III 58. 2) Wissowa, Religion und Kult der Römer p. 63 sqq. 3) Wissowa, l. c. p. 66 sqq. 4) cf. Fasti VIII—XI. 5) Ultima fuit Claudia (F IV 30).

dotalia, quo tempore quidem, a Stilichone combustis libris Sibyllinis, collegium quindecimvirorum saltem concidit.[1])

Salius Palatinus quoque unus saeculi quarti ineuntis invenitur[2]), sed sexaginta post annis *mansiones saliorum Palatinorum . . . pecunia sua reparaverunt pontifices Vestae promagisterio Plotii Aelii Lucilli Vitrasii Praetextati.*[3]) Multo ante autem videntur sodalitates divorum interisse. Nam post P. Petronium Meliorem a. 230 inter sodales Augustales cooptatum (F[4]) VIII 71), C. Iulium Verum Maximum sodalem Flavialem a. 236 cooptatum (F IX 19), M. Aelium Theonem legatum Valeriani et Gallieni — a. 253—260 — sodalem Hadrianalem (F X 16), imperatorem Maximinum a. 235 inter sodales Antoninianos cooptatum (CIL VI 2001, 15) invenitur nullus iam sodalis divorum. Ultimus qui commemoratur flaminum maiorum Terentius Gentianus cos. a. 211 (F II 7) fuit, ultimus flaminum divorum Quintianus consul ut videtur a. 235 (F XII 21), regum sacrorum Cn. Pinarius Severus, qui sub Traiano vixit (F III 2), fetialium L. Marius Aurelianus cos. II a. 223 (F XIII 20), sodalium Titiorum M. Antius Lupus occisus a. 182 (F XV 11), saliorum Collinorum[5]) L. Fulvius Aemilianus cos. a. 206 (F XVII 19). Ex eo quod Gordianus ultimus eorum imperatorum est, quorum statuae in Arvalium luco repertae sunt, colligi potest post illius aetatem nullos fuisse fratres Arvales, quocum congruit ultimum fragmentum actorum fratrum ad annum 241 pertinens.[6])

Denique post tertium saeculum nulla exempla sacerdotiorum ordinis equestris inveniuntur, quamquam Lupercalia usque ad a. 494 celebrabrantur.[7]) Ita ultimus quem novimus pontifex minor fuit P. Livius Larensis, qui vixit ut videtur saeculo secundo exeunte (F XVIII 8), flamen minor Sex. Caesius Propertianus, qui aetate Vitellii vixit (F XIX 3), curio Q. Herennius Maximus aetatis Caracallae vel Elagabali (F XX 8), lupercus L. Crepereius Rogatus aetatis post Aurelianum (F XXI 6), Laurens Lavinas L. Petronius Volusianus praefectus urbi a. 267/268 (F XXII 20), tubicen sacrorum Q. Decius Saturninus sub Tiberio (F XXIII 1), sacerdos Caeninensis L. Cand . . .

---

1) Wissowa, l. c. p. 86 sq. 2) C. Vettius Rufinus cos. a. 323 (Fasti XVI 77). 3) CIL VI 2158. 4) Littera F indicati sunt fasti. 5) Erant salii aetate Minucii Felicis (25, 12). 6) Wissowa in encycl. reali II 1467. 7) Marquardt-Wissowa, Röm. Staatsverw. III² p. 427.

a. 222—235 (F XXIV 3), Albanus P. Aelius Tiro c. a. 150 (F XXV 3), Tusculanus M. Aurelius Menophilus c. a. 198 (F. XXVI 2).[1])

Itaque in universum sacerdotia, quattuor amplissimis collegiis et virginibus Vestalibus et saliis Palatinis exceptis, post aetatem Aureliani paulatim lapsa esse videntur. Magis magisque imperatores alii alia nova sacerdotia instituerunt, sicut Elagabalus et Aurelianus, et magis magisque valescebant cultus Aegyptii atque Asiatici et praecipue fides Christiana. Quattuor amplissima collegia, quia semper summam dignitatem habuerant, haud mirabile est etiam tunc exstitisse cum cetera iam perissent. Et quidem collegium virginum Vestalium remanebat ut pars collegii pontificum; et collegium saliorum, ab omnibus ceteris collegiis diversum, fortasse eo tantum se sustinere potuit, quod unus erat ex paucissimis honoribus patriciis reservatis eo tempore, in quos homines plebeii non admitterentur.

---

1) Cuius aetatis fuerint sacerdotes Lanuvini (F XXVII) et sacerdotes Cabenses (F XXVIII) et sacerdotes Suciniani (F XXIX) nescio.

II.

Senatorii ordinis fuerunt omnes sacerdotes quattuor amplissimorum collegiorum, sodalitatum divorum imperatorum fratrumque Arvalium, collegiorum fetialium et saliorum, item flamines maiores flaminesque divorum, reges sacrorum et virgines Vestales.[1]) Quamquam omnia cetera collegia assignata sunt ab Augusto equestri ordini[2]), inveniuntur inter lupercos et Laurentes Lavinates et curiones homines senatorii quoque ordinis. Sic fuerunt curiones T. Statilius Taurus cos. a. 728 = 26 (F XX 1), C. Calvisius Sabinus cos. a. 4 vel 26 (F XX 3), Ti. Clodius Eprius Marcellus cos II a. 74 (F XX 5), L. Aemilius Arcanus sub Hadriano (F XX 6), Q. Herennius Maximus circa aetatem Caracallae (F XX 8), L. Aradius Roscius saeculi tertii (F XX 9), M. Accenna Agrippa aetatis incertae (F XX 10); luperci A. Castricius Myrio ante a. 20 (F XXI 1), M. Fabius Valerianus cos. a. 204 (F XXI 3), C. Iulius Asper c. a. 220 (F XXI 5)[3]), L. Crepereius Rogatus aetatis incertae post Aurelianum (F XXI 6); Laurentes Lavinates Ti. Claudius Claudianus cos. a. 199/200 (F XXII 10), L. Petronius Volusianus cos. a. 261, qui in senatorium ordinem adlectus est fortasse post sacerdotium acceptum (F XXII 20), P. Metilius Vennonianus aetatis incertae (F XXII 40). Sed etiam libertini fuerunt luperci C. Iulius Salvius fortasse aetatis Augusti (F XXI 2) atque Q. Considius Eros aetatis ignotae (F XXI 9), et Laurens Lavinas L. Marius Doryphorus aetatis ignotae (F XXII 38).

Homines patricii fuerunt, nemine excepto, reges sacrorum et salii et flamines maiores.[4]) Flamines divorum quoque patricios fuisse demonstravit Dessau[5]) ex exemplis tum quidem notis, Augustum, Germanicum (F XII 1), Neronem Germanici filium (F XII 3), L. Iunium Silanum

1) Mommsen, Staatsr. II p. 33; Wissowa, Relig. und Kult. p. 422. 2) Mommsen, l. c. III p. 567. 3) cf. Wissowa, l. c. p. 422 adn. 4. 4) Mommsen, l. c. p. 78; Wissowa, l. c. p. 421 et 422 adn. 1. 5) Eph. ep. III p. 223 sqq.

(F. XII 4), L. Eggium Ambibulum (F XII 7), P. Coelium Balbinum (F XII 8), C. Matium Pisibanum Lepidum (F XII 15), P. Helvidium Pertinacem (F XII 18), Quintianum (F XII 21) afferens. Quibus nunc addere licet Drusum Tiberii filium (F XII 2) et P. Glitium (F XII 5), P. Manilium Vopiscum (F XII 6), M. Acilium Faustinum (F XII 10), L. Annium Largum (F XII 11), L. Cossonium Marullum (F XII 12), L. Roscium Aelianum (F XII 13), L. Salvium Karum (F XII 14), . . . rocium Pisonem (F XII 16), Iulium Asprum (F XII 20), qui salii fuerunt. Quamquam igitur testimoniis demonstrari non potest, tamen etiam M. Postumium Festum (F XII 9) et L. Ragonium Quintianum (F XII 17) et Q. Vibium Priscum (F XII 19) et Galerium Maximum (F XII 22) fuisse patricios arbitrabimur, cum nihil sit quod arguat eos fuisse plebeios.

In cetera collegia sacerdotalia admissos esse homines plebeios satis docent haec exempla: pontifices C. Calpetanus Rantius Festus cos. suff. a. 71 (F I 27), L. Licinius Sura cos II a. 102 (F I 47), P. Metilius Secundus cos. suff. a. 123 (F I 53), C. Iulius Asper cos. a. 212 (F I 77); augures P. Plautius Pulcher mortuus ante a. 54 (F V 30), L. Minicius Natalis cos. suff. a. 106 (F V 44), A. Platorius Nepos cos. a. 119 (F V 47), Ti. Claudius Caelianus aetatis Marci (F V 52), C. Arrius Antoninus cos. c. a. 170 (F V 56); quindecimviri Sex. Papinius Allienus praetor a. 27 (F VI 26), M. Arruntius Aquila cos. suff. c. a. 72 (F VI 37), Q. Roscius Pompeius Falco cos. sub Traiano (F VI 47), M. Fabius Valerianus curator operum a. 193 (F VI 61), L. Considius Gallus aetatis incertae (F VI 111); septemviri M. Valerius Quadratus quaestor sub Augusto (F VII 2), L. Funisulanus legatus Pannoniae a. 84/85 (F VII 17), Ti. Claudius Quartinus cos. suff. sub Hadriano (F VII 28), Bellicius Sollers c. aetatem Antonini (F VII 29), C. Popilius Pedo cos. suff. c. a. 148 (F VII 32); sodales Augustales C. Calpetanus Rantius Festus cos. suff. a. 71 (F VIII 17), L. Licinius Sura cos. II a. 102 (F VIII 29), M. Cutius Priscus cos. suff. inter a. 128 et 142 (F VIII 35), T. Statilius Maximus cos. a. 144 (F VIII 40), P. Plotius Romanus aetatis Commodi (F VIII 51), C. Caesonius Rufinianus comes Alexandri (F VIII 69); sodales Flaviales L. Aemilius Karus aetatis Pii (F IX 6), Bellicius Sollers c. aetatem Antonini (F IX 7), M. Statius Priscus cos. ord. a. 159 (F IX 9), C. Iunius Faustinus tertii saeculi ineuntis (F IX 20); sodales Hadrianales

C. Popilius Pedo cos. c. a. 148 (F X 5), Ti. Claudius Caelianus aetatis Marci (F X 7), L. Fabius Cilo cos. II ord. a. 204 (F X 14), L. Annius Italicus c. a. 211/222 (F X 15), L. Flavius Octavianus aetatis ignotae (F X 19); sodales Antoniniani C. Arrius Antoninus cos. c. a. 170 (F XI 5), C. Caerellius Pollitianus quaestor inter a. 212 et 217 (F XI 9), L. Albinius Saturninus aetatis incertae (F XI 12); fetiales P. Paquius Scaeva c. a. 737 = 17 (F XIII 2), C. Iulius Proculus cos. c. a. 104 (F XIII 12), P. Pactumeius Clemens cos. a. 138 (F XIII 16), Q. Antistius Adventus cos. suff. sub Marco (F XIII 18), Q. Licinius Modestinus aetatis incertae (F XIII 27); frater Arvalis P. Metilius Secundus cos. suff. a. 123 (F XIV 86); sodalis Titius P. Iulius Marcianus cos. a. 171 (F XV 9). Inter virgines Vestales quoque inveniuntur gentes plebeiae.[1])

1) cf. Mommsen, Röm. Forsch. I p. 79.

III.

Iam venio ad quaestionem quo modo homines privati aetate imperatorum sacerdotes facti sint.

Temporibus liberae reipublicae sacerdotes amplissimorum collegiorum cooptabantur intra collegia ipsa, deinde autem in comitiis septendecim tribuum sorte destinatarum eligebantur, denique post aetatem Augusti inde ab anno 14 in senatu.[1]) Quod demonstratur verbis Taciti ann. III 19: *paucis post diebus Caesar auctor senatui fuit Vitellio atque Veranio et Servaeo sacerdotia tribuendi.* Sodalitates autem sacerdotes semper intra collegium cooptabant; nam verba in eorum fastis occurrentia *ex senatus consulto* pertinent tantum ad Augustos Caesaresque, de hominibus privatis non adhibentur. Sed aliquatenus non solum electio in senatu sed etiam cooptatio in sodalitatibus finiebatur iure imperatoris libero arbitrio sacerdotes faciendi.

Ut primum de electione in senatu dicam, a sacerdotibus collegiorum senatui proponebantur candidati e quibus senatus eligeret.[2]) Quoniam imperator semper sacerdos collegiorum erat, quem hic suo privilegio sacerdotes commendandi usus volebat, eum senatus eligebat.[3]) Quem ad modum id ius sacerdotes commendandi ab imperatore deductum sit ex his verbis elucet: *pontificatus et quindecimviratus et auguratus codicillares fecit, ut in senatu allegarentur*[4]); et ex epistula Plinii ad Traian. 13: *cum sciam, domine, ad testimonium laudemque morum meorum pertinere tam boni principis iudicio exornari, rogo, dignitati, ad quam me provexit indulgentia tua, vel auguratum vel septemviratum, quia vacant, adicere digneris;* ep. IV, 8: *gratularis mihi, quod acceperim auguratum; iure gratularis, primum quod gravissimi principis iudicium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est;* ex

---

1) Mercklin, Cooptation d. Römer p. 131 sq.; Mommsen, Staatsr. II p. 24 sq.; Wissowa, l. c. p. 418; Henzen, Arv. p. 67. 2) Mommsen, l. c. p. 1109. 3) Dessau, eph. ep. III p. 208. 4) vit. Alex. 49, 2; Wissowa, l. c. p. 419 adn. 5.

verbis Taciti hist. I 77: *sed Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum dignitatis addidit, et recens ab exilio reversos nobiles adulescentulos avitis ac paternis sacerdotiis in solacium recoluit;* ex verbis denique Dionis LIII 17: *ἔκ τε τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱερωσύναις ἱερῶσθαι, καὶ προσέτι καὶ τοῖς ἄλλοις τὰς πλείους σφῶν διδόναι, ἀρχιέρεά τέ τινα αὐτῶν κἂν δύο, καὶ τρεῖς ἅμα ἄρχωσιν, εἶναι, πάντων αὐτοὶ καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν κυριεύουσιν.* Ex quibus verbis colligitur id quoque non necesse fuisse, omnes sacerdotes ex commendatione imperatoris eligi. Quae sententia confirmatur epistulis Plinii, quibus narrat se esse conatum sacerdotium obtinere priusquam ipsum imperatorem petitione adiit, ep. II 1: *illo die quo sacerdotes solent nominare, quos dignos sacerdotio iudicant, me semper nominabat* (Verginius Rufus); et ep. IV 8: (Iulius Frontinus) *qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes* (augures) *nominabat.*

In sodalitatibus, quorum sacerdotes non a senatu eligebantur sed intra collegia ipsa cooptabantur, ius sacerdotes nominandi ut collegis omnibus fuit etiam imperatoribus. Saepissime enim inveniuntur verba *ex litteris imperatoris, ex tabella imperatoris* de hominibus privatis in fastis sacerdotum cooptatorum.[1]) Quo modo imperatores in collegio fratrum Arvalium hoc iure nominationis usi sint, docent haec verba actorum anni 120: *habita sollemni precatione per C. Vitorium Hosidium Getam mag(istrum) in locum Q. Bitti Proculi Q. Manlium Carbonem ex litteris imp. Caesaris . . . Hadriani fratrem Arvalem cooptaverunt et ad sacra vocaverunt; ibique tabellae apertae signo signatae quod exprimit caput Aug(usti), in quibus scriptum fuit: imp. Caesar Traianus Hadrianus Aug. fratribus Arvalibus collegis suis salutem. in locum Q. Bitti Proculi collegam nobis mea sententia coopto P. Manlium Carbonem.*[2]) Sed licuisse sacerdotes horum collegiorum quoque cooptari sine imperatoris nominatione, mihi videtur ex eo in aperto esse, quod ea verba (*ex litteris imperatoris*) etiam saepe desunt.[3])

Reges sacrorum autem atque flamines maiores et virgines Vestales neque in senatu eligebantur neque intra collegia cooptabantur, sed e numero candidatorum, quos pontifices proponebant, ab imperatore ut

---

1) CIL. VI 2001, 3. 2004, 14. 2028, 33. 2056, 23 al. 2) CIL VI 2080, 22 sqq. 3) Henzen, l. c. p. 154.

pontifice maximo capiebantur.[1]) Quamquam nihil de flaminibus divorum cooptandis traditum est, tamen veri simile est eos quoque a pontifice maximo sacerdotes creatos esse, quoniam ceteris in rebus exemplum flaminum maiorum secuti esse videntur.[2]) Non aliter faciebat imperator sacerdotes collegiorum ordinis equestris (F XXII 36: *C. Iulio [alle]cto in numer[um Lauren]tium [L]avinatium;* et F XXIV 9: *[sacerdos] Caeninensis a pon[tificibus creatus]*).[3]) Salii denique ipsi videntur ab imperatore creati esse; non enim aliter videtur mihi intellegi posse titulus CIL V 3117: (a Claudio) *adscito in numerum saliorum;* et vit. M. Aurel. 4, 2: *octavo aetatis anno in saliorum collegium* (Antoninum Hadrianus) *rettulit.*[4])

1) Mommsen, l. c. p. 1123; Mercklin, l. c. p. 166; Wissowa, l. c. p. 417. 419. 432 sq. 2) Dessau, eph. ep. III p. 223. 3) Wissowa, l. c. p. 419 adn. 4; Mommsen, l. c. p. 1113; Habel, de pont. Rom. ab Aug. ad Aurel. condic. publ. p. 98. 4) Wissowa, l. c. p. 417 adn. 4 et 418 adn. 2; Mommsen, l. c.

IV.

Imperatores Romani recipi solebant inter sacerdotes non solum quattuor amplissimorum collegiorum, i. e. pontificum augurum quindecimvirorum septemvirorum[1]), et sodalitatum divorum imperatorum fratrumque Arvalium, ut ex eorum fastis apparet, sed etiam in collegia fetialium atque sodalium Titiorum. Ita praeter Augustum et eos principes qui ante imperium acceptum sacerdotes facti sunt[2]), fuerunt: augur[3]) Titus (Eckhel, VI 359), quindecimviri Tiberius (CIL II 2062. VI 903. X 8088) et Domitianus (cf. Marquardt, St. V. III p. 382 adn. 1), septemvir Tiberius (CIL II 2062. VI 903. X 8088), sodales Augustales Pertinax (CIL VI 1992) et Macrinus (CIL VI 1984), sodales Flaviales Macrinus (CIL VI 2009) et Elagabalus (CIL VI 2009) et Maximinus Thrax (CIL VI 2009) et impp. Gordiani (CIL VI 2009), sodales Antoniniani Elagabalus (CIL VI 2001) et Maximinus Thrax (CIL VI 2001), fratres Arvales Caligula (CIL VI 2028. 32347) et Nero (CIL VI 2040. 2044) et Galba (CIL VI 2051) et Vespasianus (CIL VI 2054. 2057) et Titus (CIL VI 2057) et Pius (CIL VI 2086) et Verus (CIL VI 1021) et Pertinax (CIL VI 2102) et Elagabus (CIL VI 2104). Sodales Titii fuerunt Claudius (F XV 5) et Galba (F XV 6), et testimoniis scriptorum docemur praeter Augustum Claudium atque M. Aurelium fuisse fetiales.[4]) Praeterea legitur de Nerone: *eodem anno* (51) *sacerd(os) coopt(atus) in omn(ia) conl(egia) supra num(erum) ex s. c.*[5]); de Tito: *T. Caesari Aug. f. Vespasiano . . . . collegior(um) omnium sacerd(oti)*[6]); de Domitiano: *sacerdos omnium collegiorum*[7]); de Marco Aurelio: *in collegia sacerdotum iubente senatu* (Marcum) *recepit* (Pius)[8]); de Commodo: *adsumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos.*[9])

---

1) Mercklin, l. c. p. 152; Mommsen, l. c. p. 1102; Wissowa, l. c. p. 415. 2) cf. Fasti. 3) de pontificibus cf. Habel, l. c. 4) Wissowa, l. c. p. 415. 479 et adn. 6. 5) Nummus, Cohen, n. 311. 6) eph. ep. IV 779. 7) CIL IX 955. 8) vit. Ant. Phil. 6, 3. 9) vit. Comm. 12, 1.

Sed videamus a quo et quo modo imperatores Caesaresque facti sint sacerdotes; et primum de electione in quattuor amplissima collegia pauca faciam verba.

Principes usque ad annum 14 sacerdotes quattuor collegiorum factos esse per comitia septendecim tribuum consentiunt homines doctissimi.[1]) Ab anno autem 14, cum comitia a Tiberio ad patres translata essent[2]), facta est electio a senatu. De pontificatu maximo saltem non possunt aliter intellegi verba vitae Alex. Sev. 8, 1: *Gratias vobis patres conscripti, non nunc primum, sed et de Caesariano nomine et de vita servata et Augusti nomine addito et de pontificatu maximo et de tribunicia potestate; quae omnia novo exemplo uno die in me contulistis;* et vitae Prob. 12, 8: *decerno igitur, patres conscripti, votis omnium concinentibus nomen imperatorium, nomen Caesarianum, nomen Augustum, addo proconsulare imperium, patris patriae reverentiam, pontificatum maximum, ius tertiae relationis, tribuniciam potestatem;* et vitae Macrin. 7, 2: (senatus) *eundem, cum scriba pontificum esset, quos hodie pontifices minores vocant, pontificem maximum appellavit.*[3]) De ceteris amplissimis collegiis docet nummus Neronis[4]): *sacerd(os) coopt(atus) in omn(ia) conl(egia) supra num(erum) ex s(enatus) c(onsulto).*[5]) Verba quoque Taciti hist. IV 3: *senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit* etiam ad sacerdotia pertinere est veri simile.[6]) Electio autem Caesarum in senatu permultum finiebatur iure imperatoris commendationis, quo saepe usi sunt principes pro filiis suis. Sic Dio LV 9: *ἱερωσύνην* (pontificatum) *αὐτῷ* (C. Caesari) *ἔδωκεν* (Octavianus); LVIII 7: *ὁ Τιβέριος ἱερέας μετὰ Γαΐου γε καὶ ἐκεῖνον* (Seianum) *καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐποίησε*; LVIII 8: *τὸν Γάιον ὁ Τιβέριος ἱερέα ἀποδείξας ἐπῄνεσε*; Suet. Claud. 4: *reliquerit eum nullo praeter auguralis sacerdotii honore impertitum.*[7]) Sed inferioribus temporibus quibus principes accipiebant sacerdotia eodem tempore quo Caesares appellabantur[8]), veri simile est imperatores perraro usos esse iure commendationis in cooptandis filiis suis.

---

1) Mommsen, l. c. p. 27; Wissowa, l. c. p. 418; Mercklin, l. c. p. 150 sq.; Henzen, l. c. p. 68. 2) Tac. ann. I 15. 3) Mercklin, l. c.; Mommsen, l. c. p. 24 sq.; Wissowa, l. c. 4) Eckhel VI p. 261. 5) cf. CIL VI 921: *Neroni Claudio Aug. f. Caesari Druso Germanico pontifici auguri XV viro s. f. VII viro epulonum.* 6) Mommsen apud Henzenum, Arv. p. 154. 7) cf. Mercklin, l. c. p. 156 sq. 8) Habel, l. c. p. 62.

Electionem Augustorum Caesarumque in cetera senatorii ordinis collegia fuisse apud senatum ex inscriptionibus constat. Legitur enim in fastis sodalium Augustalium Claudialium: *adlectus ad numerum ex s. c. [Nero Claudius] Caesar Germanicus;* in fastis sodalium Antoninianorum: *M. Aurelius Antoninus Pius Felix August. ex s. c. cooptatus;* in fastis sacerdotum consistentium in aede Iovis Propugnatoris: *ex s. c. M. Opellium Severum Macrinum .... cooptaverunt* al. Sed sine dubio poterant ipsa collegia quoque proprio iure principes cooptare, cum formula *ex s. c.* aliquando desit.[1]) Non recte dixit Habel[2]) principes usque ad annum 51 neque in comitiis neque in senatu sacerdotes creatos fuisse; nam verba, quae ad hanc sententiam demonstrandam citavit[3]), intellegenda sunt ita, ut imperatorum ius commendationis significent. Quo modo ante annum 14 in haec collegia cooptati sint non constat, sed equidem conicio Augustum ac Tiberium proprio iure collegiorum fetialium Titiorum fratrum Arvalium sacerdotes factos esse, Caesares autem ex imperatoris iure nominationis in collegiis, i. e. neque in comitiis neque in senatu.

Ante annum 51, quo senatus incipit principes supra numerum eligere[4]), cetera sacerdotia quae nondum habebant accipiebant Caesares cooptati in locum Augustorum mortuorum aut statim post imperium acceptum aut paulo post.[5]) Contra Nero ante imperium acceptum cooptatus est supra numerum ex senatus consulto in omnia collegia[6]), quam rationem secutos esse Caesares inferioris aetatis docent fasti sodalium Augustalium atque sacerdotum consistentium in aede Iovis Propugnatoris. Ita in locum Neronis est cooptatus homo privatus, non Galba, qui iam erat sodalis Augustalis[7]), augur autem Neroni successit a. 69. Sodalis Augustalis cooptatus est Vespasianus in locum Vitellii et Titus adlectus est ad numerum ex senatus consulto; Domitianus autem iam sodalis Augustalis locum Titi non occupavit. Non aliter cooptatus est supra numerum ex senatus consulto Caracalla a. 197 imperator destinatus, cui mortuo a. 217 successit imperator Macrinus. Unde apparet eodem anno, quo filii sive ingenui sive adoptati Caesares appellati sunt, sacerdotia accepisse aut in locum

---

1) CIL VI 1984, 2, 13. 2) l. c. p. 63. 3) Dio LV 9. LVIII 7 et 8; Suet. Claud. 4; de quibus vid. supra p. 15. 4) Habel, l. c. p. 64 et 71 sq. 5) Habel p. 6 adn. 5. 6) Tac. ann. XII 41; CIL VI 921. 1984. 2040. 2042. 7) Suet. Galb. 8; Dessau, eph. ep. III p. 74 sq.

hominis privati succedentes aut supra numerum receptos. Sed qui non iam ante imperium acceptum Caesares nominati sunt, cooptati sunt in locum imperatoris mortui.

De die quo principes sacerdotiis ornati sunt non facile cognosci potest. Est autem verisimillimum eodem die, quo ceteros honores acceperint, eis senatum sacerdotia quoque decrevisse. Sic Tacitus, hist. IV 3: *senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit*[1]); et vita Ant. Phil. 16, 1: *Marcus ... contulerit in filium mox sacerdotium statimque nomen imperatoris ac triumphi participationem et consulatum.* Renuntiationem in comitiis sacerdotalibus[2]) sequebatur statim cooptatio in collegiis ipsis proclamata, ut apertum est ex exemplo Othonis, qui princeps nominatus d. XVIII K. Febr. a. 69 omnia sacerdotia accepit d. III Non. Mart.[3])

1) cf. supra p. 15. 2) Henzen, l. c. p. 67; CIL VI 2051 I 70; Wissowa, l. c. p. 418; Mommsen, l. c. p. 31. 3) Henzen, l. c. p. XCI adn. 6 et p. 67; CIL VI 2004 adn.

V.

De anno aetatis quo licebat adulescentem creari sacerdotem nihil fere traditum est. Ex titulis autem apparet ipsos Augustos Caesaresque nulla lege impeditos fuisse quin in sacerdotalia collegia vel ante pubertatem cooptarentur. Ita in omnia collegia cooptati sunt Commodus anno aetatis quarto decimo[1]) et Geta ac Diadumenianus anno aetatis nono.[2]) Permultos in sacerdotia saliorum cooptatos esse pueros ex indole huius collegii elucet. Et quidem verisimillimum est adulescentes tantum, sive principes sive homines privatos, inter salios receptos esse, cum patrimi matrimique esse deberent, id est patribus matribusque adhuc superstitibus uti, ut saliatu ornarentur.[3]) In universum autem, saliis et fortasse curionibus exceptis[4]), homines privati creabantur sacerdotes post virilem togam sumptam.[5])

Non est dubium quin licuerit homines privatos qui nondum magistratum occupavissent inter sacerdotes recipi. Mihi quidem videtur res aperte demonstrari exemplo L. Apronii Caesiani (F VII 14), qui vix pueritiam egressus propter virtutem in bello exhibitam ornatus est septemviratu epulonum, cum scilicet minor natu esset quam ut magistratum caperet. Recte autem contendit Habel Apronium eo tempore togam virilem iam sumpsisse. Nam cum anno 32 fuerit praetor[6]), ad minimum duodevicesimum aetatis annum agebat anno 20, quo ei equitatus a patre in Africa mandatus est.[7])

Ante vigintiviratum erat quindecimvir C. Asinius Gallus (F VI 17), ante tribunatum militum Sex. Iulius Severus (F VI 49); ante tribunatum plebis creatus est augur L. Minicius Natalis (F V 48). Ante praeturam facti sunt: augures P. Petronius (F V 21), Drusus Caesar (F V 27); quindecimviri L. Arruntius Stella (F VI 42), C. Iulius Severus (F VI 53), L. Cassius Marcellinus (F VI 71), L. Mummius

---

1) vit. Comm. 12, 1; Dio LXXII 15. 2) cf. Habel, l. c. n. 74 et 83. 3) Mommsen, l. c. p. 25; Wissowa, l. c. p. 421 adn. 8. 4) Mommsen, l. c. p. 32. 5) id. ib. adn. 4. 6) Dio LVIII 19. 7) Tac. ann. III 21.

Cornelianus (F VI 82); sodales Augustales Drusus Germanici f. (F VIII 8), C. Iulius Asper (F VIII 60); sodalis Hadrianalis L. Annius Italicus (F X 15); fetialis P. Pactumeius Clemens (F XIII 16). Ante consulatum facti sunt: augures L. Sempronius Atratinus (F V 2), L. Iunius Silanus (F V 9), P. Clodius Pulcher (F V 10), Q. Caecilius Metellus (F V 19), Germanicus Caesar (F V 20), L. Venuleius Apronianus (F V 54), P. Cornelius Anullinus (F V 61); quindecimviri M. Valerius Messalla (F VI 2), C. Caninius Rebilus (F VI 15), Q. Aelius Tubero (F VI 16), P. Cornelius Tacitus (F VI 41), Appius Claudius Lateranus (F VI 58), Ulpius Soter (F VI 68), M. Nonius Aper (F VI 80), Ser. Calpurnius Dexter (F VI 81); sodales Augustales Drusus Tiberii f. (F VIII 3), C. Calpurnius Festus (F. VIII 17), P. Valerius (F VIII 20), M. Cutius Priscus (F VIII 35); sodalis Hadrianalis L. Fabius Cilo (F X 14); fratres Arvales Drusus Caesar (F XIV 15), Paullus Fabius Persicus (F XIV 22), Cn. Domitius Ahenobarbus (F XIV 24), Taurus Statilius Corvinus (F XIV 25), C. Calpurnius Piso (F XIV 28), M. Furius Camillus (F XIV 30), A. Caecina Largus (F XIV 31), M. Iunius Silanus (F XIV 34), M. Valerius Messalla (F XIV 43), C. Vipstanus Apronianus (F XIV 50), C. Licinius Mucianus (F XIV 59), Ti. Iulius Candidus (F XIV 61), C. Iulius Quadratus (F XIV 62), L. Venuleius Montanus (F XIV 70), C. Iulius Silanus (F XIV 72), L. Iulius Simplex (F XIV 73), C. Caecilius Strabo (F XIV 77), C. Arrius Antoninus (F XIV 121). Quoniam salii cooptati sunt adulescentes, inveniuntur complures qui saliatum acceperint ante quaesturam: P. Glitius (F XVI 20), Vitrasius Pollio (F XVI 22), Ser. Cornelius Dolabella (F XVI 23), M. Lollius Saturninus (F XVII 4), C. Pinarius Severus (F XVII 5), P. Manilius Vopiscus (F XVII 7), P. Coelius Balbinus (F XVII 13), M'. Acilius Glabrio (F XVII 15), L. Fulvius Aemilianus (F XVII 19). Praeterea ante quaesturam saepe videntur sacerdotes facti esse ei viri senatorii, qui in collegiis ordinis equestris fuerunt: Laurentes Lavinates Ti. Claudius Claudianus (F XXII 10), P. Metilius Venonianus (F XXII 40)[1]); curiones L. Aemilius Arcanus (F XX 6), Q. Herennius Maximus (F XX 8), L. Aradius Rufinus (F XX 9), M. Accenna Agrippa (F XX 10).[2])

1) Mommsen, l. c. p. 568 adn. 8. 2) id. ib. adn. 1.

VI.

Usque ad Aurelianum unus occurrit C. Octavius Sabinus consul a. 214 qui sacerdos fuit simul in duobus collegiis ex quattuor amplissimis — pontificum et augurum. Sed post Aureliani aetatem exempla horum sacerdotiorum in eodem homine coniunctorum crebro occurrunt. Ita fuerunt

pontifex et augur:

Rufius Ceionius pontifex a. 377 (F I 101),

L. Ragonius Venustus pontifex a. 390 (F I 106);

pontifex et quindecimvir:

Bruttius Praesens cos. c. a. 311 (F I 88),

... Antoninus pontifex a. 350 (F I 92),

Memmius Vitrasius Orfitus praefectus urbi a. 356—359 (F I 93),

L. Aurelius Symmachus cos. suff. a. 376 (F I 97),

Petronius Apollodorus pontifex a. 370 (F I 99);

pontifex et augur et quindecimvir:

M. Maecius Memmius cos. ord. a. 343 (F I 90),

L. Aradius Proculus cos. a. 340 (F I 89),

Vettius Agorius Praetextatus praefectus praetorio a. 384 (F I 94);

pontifex et quindecimvir et septemvir:

Alfenius Ceionius Kamenius mortuus a. 385 (F I 96),

Q. Clodius Flavianus pontifex a. 383 (F I 105);

augur et quindecimvir:

T. Flavius Varus praefectus urbi a. 271 (F V 66).

Fabricius Veiento (F VI 44) consul sub Domitiano sodalis Augustalis sodalis Flavialis videtur primus homo privatus fuisse, qui simul sacerdos fuerit in duobus collegiis divorum imperatorum, id quod etiam postea raro usu venit. Praeter Fabricium fuerunt

sodalis Hadrianalis sodalis Antoninianus:

L. Dasumius Tuscus quaestor non ante a. 138 (F X 4),

L. Fulvius Praesens cos. ord. a. 153 (F X 6),

L. Venuleius Apronianus cos. II a. 168 (F X 9),

Q. Pompeius Sosius Priscus cos. ord. a. 169 (F X 11).

Ex fastis apparet eum qui de republica bene meritus esset sacerdotiis honoratum esse in uno ex amplissimis collegiis et in uno ex sodalitatibus divorum imperatorum. Ita fuerunt

pontifex et sodalis Augustalis:

Aquillius Regulus regnante Tiberio (F I 15),

Ti. Plautius Aelianus cos. a. 45 (F I 23),

C. Calpetanus Festus cos. a. 71 (F I 27),

T. Tettienus Serenus pontifex a. 101/102 (F I 37),

L. Ceionius Commodus pontifex a. 101/102 (F I 41),

Q. Pomponius Rufus c. a. 93 (F I 45),

L. Licinius Sura cos. II a. 102 (F I 47),

C. Iulius Asper cos. a. 212 (F I 77);

pontifex et sodalis Flavialis:

L. Fulvius Aemilianus cos. a. 206 (F I 74);

pontifex et sodalis Hadrianalis:

Appius Annius Bradua ante a. 160 (F I 56),

M. Valerius Bradua cos. a. 191 (F I 71);

pontifex et sodalis Antoninianus:

T. Pomponius Pollio cos. II a. 176 (F I 57);

augur et sodalis Augustalis:

Ti. Clodius Marcellus cos. II a. 74 (F V 40),

L. Minicius Natalis cos. a. 106 (F V 44);

augur et sodalis Flavialis:

M. Metilius Fronto cos. a. 157 (F V 51);

augur et sodalis Hadrianalis:

Ti. Claudius Caelianus regnante Marco (F V 52);

quindecimvir et sodalis Flavialis:

C. Bellicius Natalis cos. a. 87 (F VI 39),

L. Aemilius Karus regnante Pio (F VI 52);

septemvir et sodalis Augustalis:

L. Funisulanus Vettonianus regnante Domitiano (F VII 17),

Q. Glitius Agricola cos. II a. 103 (F VII 22),

C. Sallius Aristaenetus c. a. 200 (F VII 35),

M. Herennius Faustus cos. a. 205 (F VII 37);

septemvir et sodalis Hadrianalis:

Gallus Paccianus aetatis incertae (F VII 26),

C. Popilius Pedo cos. c. a. 148 (F VII 32).

Ornati sacerdotiis in uno ex quattuor amplissimis collegiis et in uno ex ceteris sodalitatibus (fratrum Arvalium fetialium Titiorum) vel flamonio divorum imperatorum:

pontifex et flamen divi:

P. Manilius Vopiscus cos. a. 114 (F I 48),

Q. Vibius Priscus ante a. 211 (F I 70);

pontifex et fetialis:

P. Cornelius Lentulus cos. a. 24 (F I 12),

L. Fulvius Aemilianus (?) regnante Alexandro (F I 91);

pontifex et frater Arvalis:

L. Calpurnius Piso cos. a. 739 = 15 (F I 8),

Cn. Pompeius Magnus c. a. 41 (F I 19),

L. Calpurnius Piso cos. a. 57 (F I 21),

T. Haterius Nepos frater Arvalis a. 118 (F I 51),

P. Metilius Secundus cos. a. 123 (F I 53),

L. Fulvius Aemilianus (?) regnante Alexandro (F I 91);

augur et flamen divi:

homo ignotus tituli CIL VI 2152;

augur et frater Arvalis:

Cn. Cornelius Lentulus cos. a. 740 = 14 (F V 13),

Cn. Pompeius augur a. 14 (F V 25);

augur et sodalis Titius:

M. Antonius Lupus ante a. 182 (F V 59);

quindecimvir et fetialis:

Q. Marcius Barea procos. a. 42 (F VI 25),

C. Iulius Proculus cos. c. a. 104 (F VI 46);

quindecimvir et frater Arvalis:

L. Caninius Gallus cos. a. 752 = 2 (F VI 24),

Taurus Statilius Corvinus c. a. 45 (F VI 30),

A. Pollienus Auspex quindecimvir a. 204 (F VI 62);

septemvir et flamen divi:

M. Postumius Festus cos. c. a. 143 (F VII 31);

septemvir et frater Arvalis:

C. Antius Quadratus cos. suff. a. 93 (F VII 20);

septemvir et sodalis Titius:

P. Cornelius Dolabella cos. a. 10 (F VII 11).

Ante initium quarti saeculi sacerdotium triplex senatorii ordinis occurrit terdecies:

pontifex sodalis Augustalis frater Arvalis:

Paullus Fabius Persicus cos. a. 34 (F I 17);

pontifex sodalis Hadrianalis sodalis Antoninianus:

Q. Pompeius Sosius Priscus cos. a. 169 (F I 66),

L. Octavius Iulianus aetatis incertae (F I 112);

pontifex sodalis Antoninianus flamen divi:

L. Tiberius Quintianus cos. a. 235 (F I 81);

pontifex sodalis Antoninianus fetialis:

M. Pontius Laelianus cos. a. 163 (F I 63);

augur sodalis Augustalis sodalis Titius:

L. Volusius Saturninus cos. a. 3 (F V 18);

augur sodalis Hadrianalis sodalis Antoninianus:

L. Dasumius Tuscus c. a. 138 (F V 49),

L. Venuleius Apronianus cos. II a. 168 (F V 54);

augur sodalis Antoninianus frater Arvalis:

C. Arrius Antoninus cos. c. a. 170 (F V 56);

augur fetialis frater Arvalis:

M. Furius Scribonianus cos. a. 32 (F V 32);

quindecimvir sodalis Augustalis sodalis Flavialis:

A. Fabricius Veiento cos. sub Domitiano (F VI 44);

quindecimvir sodalis Augustalis fetialis:

Q. Licinius Labeo aetatis incertae (F VI 115);

septemvir sodalis Flavialis sodalis Augustalis:

Bellicius Sollers Rutilianus aetatis Pii (F VII 29).

Praeterea occurrunt homines senatorii ordinis qui simul fuerunt:

rex sacrorum et augur:

Cn. Pinarius Severus regnante Traiano (F V 45),

C. Va . . . . aetatis incertae (F V 87);

rex sacrorum et flamen divi:

homo ignotus tituli CIL IX 2847;

flamen divi et frater Arvalis:

L. Iunius Silanus regnante Tiberio (F XII 4);

augur curio:

T. Statilius Taurus cos. ord. a. 728 = 26 (F V 6),

L. Aradius Saturninus aetatis incertae (F V 67);

quindecimvir lupercus:

M. Fabius Valerianus quindecimvir a. 204 (F VI 61);

septemvir curio:

C. Calvisius Sabinus cos. a. 750 = 4 vel a. 26 (F VII 8);

septemvir lupercus:

C. Galerius Asper c. a. 220 (F VII 40),

L. Crepereius Rogatus aetatis post Aurelianum (F VII 42);

septemvir Laurens Lavinas:

Ti. Claudius Claudianus cos. a. 199 vel 200 (F VII 36);

flamen divi lupercus:

homo ignotus tituli CIL IX 1174.

Denique occurrunt homines ordinis equestris qui simul fuerunt

pontifex minor tubicen sacrorum:

Q. Decius Saturninus aetatis Tiberii (F XVIII 2);

pontifex minor sacerdos Caeninensis:

L. Aurelius Nicomedes mortuus ante a. 180 (F XVIII 3);

flamen minor Laurens Lavinas:

M. Numisius Quintianus aetatis incertae (F XIX 6);

curio sacerdos Cabensis:

C. Nonius Ursus aetatis incertae (F XX 12);

lupercus Laurens Lavinas:

L. Ba..... aetatis incertae (F XXI 8),

P. Sufrenas Myro aetatis incertae (F XXI 15).

Aetate imperatorum sacerdotes reliquorum collegiorum exclusi sunt a saliatu, ut fastis saliorum Palatinorum demonstratur. Ita exierunt e collegio pontifices facti Q. Tineius Rufus (F XVI 36) et M. Nummius Senecio (F XVI 63) et ....odius (F XVI 67); flamines

facti — aut maiores[1]) aut divorum imperatorum[2]) — M. Acilius Faustinus (F XVI 26), L. Annius Largus (F XVI 27), L. Cossonius Marullus (F XVI 29), L. Roscius Aelianus (F XVI 31), L. Salvius Karus (F XVI 32), ... rocius Piso (F XVI 54), Iulius Asper (F XVI 71); augur factus P. Cornelius Anullinus (F XVI 72). Praeterea C. Mattius Sabinus (F XVI 55), qui etiam flamen Iulianus erat, atque L. Annius Ravus (F XVI 28)[3]), qui etiam pontifex erat, dicuntur e collegio exaugurati esse causa non addita. Atque id confirmatur eo quod, quamquam solent in titulis sacerdotia vel in initio vel in fine cursus honorum inscribi[4]), saepissime saliatus inseritur ordini temporis. Sic in titulis nominatur saliatus Ser. Cornelii Dolabella (F XVI 23) et P. Glitii (F XVI 20) et P. Coelii Balbini (F XVII 13) ante quaesturam, sed flamonium post eam; saliatus Q. Pompeii Senecionis Prisci (F XVII 17) ante consulatum, sed post eum pontificatus et sodalitates; saliatus Cn. Pinarii Severi (F XVII 5) ante quaesturam, sed post eam auguratus et regnum sacrorum, ut videtur; denique saliatus P. Manilii Vopisci (F XVII 7) ante vigintiviratum, sed pontificatus et flamonium post quaesturam. Itaque ei tituli, quibus saliatus in cursu honorum invenitur ordine temporis non servato, ita intellegendi sunt, ut homo, de quo agitur, e collegio saliorum exierit priusquam in aliud collegium cooptaretur; sicut M. Nummius Sabinus (F XVI 63), qui a. 199 e collegio saliorum exiit, a. 206 pontificem salium Palatinum se appellat.[5])

Quia regnum sacrorum flamoniaque maiora coniuncta erant cum collegio pontificum, ea sacerdotia cum pontificatu coniungere non licebat.[6]) Flamines igitur divorum fuerunt ei homines qui simul pontifex et flamen in titulis nominantur, e. g. P. Manilius Vopiscus (F XII 6). Regem autem sacrorum potuisse etiam sacerdotem fieri aliorum collegiorum apparet ex titulis quibus inveniuntur verba: *Cn. Pinario ... Cn. f. ... Severo consuli auguri regi sa[crorum praet. quaest. cand.] imp. Caesaris Nervae Traiani Aug. salio Collino* etc.[7]); et *C. Va ... rex sacrorum augur cum Manlia L. f. Fadilla regina sacrorum patri carissimo*[8]); et *civ ... id ... regi sac[rorum] flam ...*

1) Cornelius Dolabella (F XVI 23). 2) Wissowa, l c. p. 423; Dessau, eph. ep. III p. 226. 3) cf. Habel. l. c. p. 81. 4) Wissowa, l. c. p. 411 adn. 3. 5) id. ib. p. 423 adn. 8. 6) id. ib. adn. 1. 7) CIL XIV 3604; cf. 4246: *[au]guri r[egi sacrorum pra]etor[i quaest. cand. imp.] Caesaris.* 8) CIL VI 2123.

(divi) *patric. leg. Caesaris*, etc.[1]) Sed flamines maiores fuisse simul sacerdotes in aliis collegiis non veri simile est, quamquam nobis nihil de hac re traditum est. Tres quidem inscriptiones quibus leguntur verba: — *pontifex flamen* ... *salius Collinus*[2]); *M. Postumium Festum oratorem utraque fecund. maximum procos. Asiae destinat. VIIvirum flam* ... *venerabilis memoriae virum*, etc.[3]); ... *auguri flamini* ...[4]) — ita mutilae sunt ut non possit cognosci quae flamonia intellegenda sint.[5]) Denique Ser. Cornelius Dolabella salius Palatinus flamen Quirinalis flamen factus e collegio saliorum exiit, si supra recte disputavi.

---

1) CIL IX 2847. 2) CIL XIV 4242. 3) CIL VI 1416. 4) CIL VI 2152. 5) Wissowa, l. c. p. 423 adn. 7.

VII.

Reliquum est ut pauca verba faciam de collegiorum sacerdotalium magistris atque promagistris.[1]) Ac primum quidem, cum ex amplissimis collegiis quindecimviri materiam plenissimam in actis ludorum saecularium nobis praebeant, quaeramus quis in hoc collegio magister, quis promagister fuerit, et de numero magistrorum.

Anno 737 = 17, cum Augustus ludos saeculares faceret, erant collegii quindecimvirorum magistri quinque, quorum unus erat ipse Augustus. Inferiore aetate simul fuisse plures magistros apparet ex verbis Taciti ann. VI 12 ad annum 32: *lecto per magistros* (quindecimvirorum) *aestimatoque carmine;* sed postea, ut Plinius[2]) docet, collegio praesidebat unus, qui videtur semper imperator fuisse.[3]) Annis autem 203 et 204 Manilius Fuscus (F VI 59) et Pompeius Rusonianus (F VI 69) dicuntur in actis magistri, sed mihi videtur tum quoque imperator magister fuisse, et Manilius Pompeiusque facti esse magistri tantum ad ludos saeculares Septimii Severi dandos, quibus, sicut antea sub Augusto, quindecimviri praefuerunt.[4]) Etenim post aetatem Severi memorantur magistri neque a rerum scriptoribus neque in titulis, quia scilicet imperator magister erat. Sed contra annis 213 et 289 inveniuntur promagistri Calpurnius Domitius (F VI 81) et Pontius Gavius (F VI 87), qui magisterii munera exsequebantur, cum imperator valetudine vel expeditione vel alia causa impediretur.[5]) Ut in collegiis sodalium Augustalium atque fratrum Arvalium promagister edebatur a magistro, ita ab imperatore promagister quindecimvirorum factus esse videtur. Num munus promagistri annuum fuerit, non satis apparet.

---

1) de promagistris pontificum cf. Habel, l. c. p. 90. 2) N. H. XXVIII 12. 3) Marquardt-Wissowa, Röm. St. V. III p. 382 adn. 1; Mommsen, l. c. p. 1106; Mercklin, l. c. p. 162. 4) Wissowa, l. c. p. 415 adn. 6. 5) Wissowa, l. c. p. 462 et 425 adn. 7.

De praeside augurum et septemvirorum aetate imperatorum praeter exemplum auguris maximi provincialis[1]) nihil memoriae proditum est. Temporibus autem liberae reipublicae auguribus praesidebat augur maximus, qui, ut nomen indicat, maximus natu inter sacerdotes collegii erat.[2]) De septemviris res in mera coniectura posita est, neque caret probabilitate Habelii opinio[3]), imperatores ut pontificibus et quindecimviris ita etiam auguribus septemvirisque praefuisse, quod si verum est, non est dubium quin imperatores, si quando ipsi impedirentur, promagistros, ut in collegiis pontificum et quindecimvirorum, edidisse. Virgo Vestalis maxima praesidebat virginibus Vestalibus. Fetialibus utrum magister an fetialis maximus praefuerit, nescio.[4])

De magisterio fratrum Arvalium et sodalium Augustalium docemur fastis. Fratres cooptabant singulos magistros ordinarios annuos, qui aliqua causa impediti promagistros ipsi edebant. Si magister ordinarius intra anni spatium moriebatur, alius sufficiebatur. Praeterea magisterium plus quam semel ab eodem homine suscipi potuisse colligitur ex exemplis Sallustii Blaesi magistri II (F XIV 65), L. Veratii Quadrati magistri II (F XIV 86), M. Valerii Deciani magistri II (F XIV 79), Ti. Caecilii Simplicis magistri III (F XIV 83), Avillii Quadrati magistri II (F XIV 110), T. Flavii Archelai magistri II (F XIV 138), P. Aelii Secundini magistri II (F XIV 141). Invicem imperatores quoque magisterium accipiebant; Tiberius (F XIV 18) fuit magister quartum anno ut videtur 27, et Nero magister iterum a. 66[5]), et dignum est memoratu anno 69 Galbam Othonem Vitellium magistros cooptatos esse.[6]) Terni magistri praesidebant sodalibus Augustalibus et annis 213 et 214[7]), et, si Huelsen fragmentum CIL XIV 2390 sodalibus Augustalibus recte, ut mihi videtur, attribuit[8]), annis 136 et 137[9]); magisterium fuisse annuum et plus quam semel ab eodem homine occupari potuisse demonstrant exempla . . . ii magistri III (F VIII 41), Umbri magistri IV (F VIII 42), Severi magistri III (F VIII 43), I . . . . asti magistri II (F VIII 44), Severi magistri II (F VIII 45), ... ti magistri II (F VIII 46), C. Fabii Luciliani magistri II (F VIII 63), L. Mantennii Sabini magistri III (F VIII 65). Sicut inter fratres Ar-

1) CIL VIII 20152. 2) Mercklin, l. c. p. 98; Marquardt-Wissowa, l. c. p. 399; Wissowa, l. c. p. 424. 3) l. c. p. 91. 4) Marquardt-Wissowa, l. c. p. 418. 5) CIL VI 2040. 2044. 6) Henzen, l. c. p. IV adn. 6. 7) F VIII 61—66. 8) Eph. ep. IV p. 482 sq. 9) F VIII 41—46.

vales magistri in collegio cooptabantur suo loco imperatores quoque, sic etiam fit in collegio sodalium Augustalium. Quoniam collegium sodalium Titiorum ante oculos versabatur, cum sodalitates divorum imperatorum instituerentur[1]), verisimillimum est Titios atque ceteras sodalitates secutos esse eandem rationem magisteriorum.

Salios quoque magistrum habuisse colligitur ex verbis Valerii Maximi I 1, 9: *qui praetor a patre suo collegii saliorum magistro iussus sex lictoribus praecedentibus arma ancilia tulit;* et vitae Ant. Phil. 4, 4: *fuit in eo sacerdotio* (saliorum) *et praesul et vates et magister et multos inauguravit atque exauguravit nemine praeeunte.* Ceterum magister saliorum invenitur inter sacerdotia Albana.[2])

Ordinis equestris sacerdotiorum fuerunt magistri lupercorum Castricius Myro (F XXI 1) et Iulius Salvius (XXI 2); sacerdotibus Caeninensibus praesidebat Trebellius Rufus *ὕπατος Καινείνησις ἱερῶν δήμου Ῥωμαίων* (Caeninensis maximus); magister curionum vocabatur curio maximus[3]); Albae denique inveniuntur magister saliorum atque virgo Vestalis maxima.[4])

---

1) Dessau, eph. ep. III p. 205. 2) F XXV 4. 3) F XX 1. 3. 5. 4) F XXV 2. 4. 5.

Vita.

Natus sum Georgius Howe anno prioris saeculi LXXVI die III Oct. Wilmingtoni in civitate Carolinensi Septentrionali patre Georgio, quem octo abhinc annos ereptum lugeo, matre Annie e gente Wilson, quam adhuc superstitem colo. Addictus sum fidei evangelicae. Litterarum elementis imbutus sum in schola privata Columbiana et in gymnasio, cui nomen est Lawrenceville Preparatory School. Anno aetatis septimo decimo in universitatem Princetoniensem in civitate Neo-Caesariensi sitam migravi. Anno eiusdem saeculi XCVII examinibus superatis gradum Artium Baccalaurei nanctus sum. Deinde per annos tres litterarum elementa in domo privata docui. Anno MCM in Germaniam profectus per quinque semestria Halis Saxonum studiis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi Princetonienses: West, Westcott, Cameron, Orris, Winans; Halenses: Blass, Dittenberger, Meyer, Riehl, Robert, Wissowa. Quibus viris omnibus, sed maxime Georgio Wissowa, qui in hac dissertatione conscribenda opera mihi adfuit et consilio, gratias maximas habeo.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI